

sum mutâ sua eloquentiâ describant. O meum Auditorium,
te igitur postremus nunc adspicio? hoc igitur sermone pro-
fitendi meas delicias obsigno? ego te non videbo novis ali-
quando picturis exornatum? Tu vero AUGUSTA IMA-
GO, SERENISSIMI NUTRITORIS NOSTRI vi-
va memoria, siccine non amplius ad TE convertere li-
cebit oculum, quoties pro munificentissimo hoc CAPITE
vigilabit pectoris infucata devotio? extremum igitur est
quod AURO TUO timida mea vox allabitur? Tu etiam
LEUCOPETRA Cœmeterium mihi occludis, quod duobus
filiolis, imo quod Uxori oculissimæ nimis subito aperu-
isti? Non igitur in tuâ petra quiescam mortuus? non ul-
timò lugentium solatio me afficies, ut sperare liceat com-
munem sepulturam, quando nec communi lecto, nec com-
muni vitâ frui ulterius licuit? Sic est: abire jubet DEUS;
consentit AUGUSTUS; aliqui gratulantur; ego seqnor.
Quis DEO repugnavit impunè? aut quis de VOCATIO-
NE divinâ simul gloriari potuit, & lugere? Fiat Optimi Pa-
tris voluntas, siquidem is nunquam desideriis resistit no-
stris, quo minus ereptam dulcedinem cœlesti suâ gratiâ
compenset. Quamobrem quod felix & Faustum esse ju-
vent SACRO SANCTA TRINITAS, POLITICES
ELOQUENTIÆ ET POESEOS PROFESSIONEM per
integros octo annos si non laudabiliter, certè fideliter ge-
stam, in publico conspectu manibus AUGUSTIS humili-
mè restituo, ac, ut dignissimo successori denuo tradatur,
unde meus discessus evadat minus desiderabilis, ex animo
precor.

Cæ-